



Eminentissimi Ac Reverendissimi Domini, D. Joannis Baptistæ, Cardinalis De Luca, Theatrum Veritatis Et Justitiæ, Sive Decisivi Discursus

Ad Veritatem Editi In Forensibus Controversiis, Canonicis & Civilibus, in quibus in Urbe Advocatus, pro una partium scripsit, vel Consultus respondit ; Cum Indicibus Argumentorum, Causarum ac Rerum luculentissimis. Opus Tam Judicibus, Quam Causarum Patronis, atque omnibus in utroque Foro ...

De Fideicommissis, Primogenitvris, Et Majoratibvs

Luca, Giovanni Battista de

Coloniae Agrippinae, 1690

Disc. XXII. Neapolitana distributionis. De eadem materia concursus plurium personarum ejusdem generis cum inæqualitate graduum vel diversitate linearum concurrentium ad eandem dispositionem, Et ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74060](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74060)

eram in sensu, quod prosequendo appellationem in Rota probabiliter contrarium sperari debuisset, postmodum verò me terruit dicta resolutio Signaturæ, quæ ita præsupposuit punctum esse omnino clarum, ideoque libenter deveni in sententiam acquiescendi iudicato, ac assumendi dictam aliam viam, quam eventus probavit magis tutam. Potissimè verò, quia licet infra scripta distinctio mihi videretur genuina & vera, nihilominus quia non habebamus decisiones ita clarè ad eam descendentes, & e converso obstabant in contrarium dictæ decisiones punctuales, ac aliæ auctoritates in eis recensitæ, difficile opus, juxta quotidianam experientiam est contrarium sustinere, dum hujusmodi distinctiones reputari solent ratiocinia Advocatorum ex eorum ingenii acumine provenientia, ut nimum frequenter sum expertus, præsertim verò hoc docet id quod habetur in *Forolivien. sub tit. de emphyteus. disc. 3.*

Ratio dubitandi apud me erat, quod præfata conclusio, quod scilicet ad reciprocam inter primos heredes ordinatam ad favorem superstitum appellativis nominibus institutorum non veniant filii hæredis prædefuncti utpote non vocati nec nominati, vel nominati incidenter occasione ponendi eos in conditione, ideoque tanquam sub nomine collectivo non concurrentes cum vocatis per nomen appellativum, potissimè vero ubi de tempore dispositionis non erant nati, neque testatori cogniti, unde propterea non cadebat in eis ratio personalis affectionis & dilectionis cadens in filiis cognitis ac appellativo nomine vocatis.

Procedat, quoties ageretur de simplici & unica substitutione reciproca inter primos ordinata absque ulteriori substitutionum progressu inter eorum filios & descendentes, qualis est proprie casus textus in *d. l. heredes mei §. cum ita*; Idemque præsupponi videtur in allegatis decisionibus *Seraphini*, cum tunc rectè intrent rationes, quibus ista conclusio innititur, Secus autem ubi agitur de fideicommissio habente tractum successivum ac perpetuum in eorundem filii, nepotibus & descendentes, ac etiam cum ulteriori substitutionum progressu pro aliis generibus personarum ut supra, & assignata ratione conservacionis bonorum in familia & cippo, ex quibus clarum resultat fideicommissum perpetuum, & successivum; Tunc enim pro meo sensu credebam ad favorem filiorum prædefuncti intrare beneficium subingressio filiorum in locum patris jure illius vulgaris quam anomalam dicimus juxta firmata in *Tusculana coram Cocchio decis. 198. par. 4. rec. tom. 2. reperit decis. 96. post Merlin. de legitima*, quoque ad amissim intrarent, ac applicarentur ea quæ habentur superius deducta in *Mutinen. fideicommissi de Rangoni disc. 17. & admissa in Reatina disc. 18. super distinctione plurium linearum ab initio constitutarum, ut ita equalis earum conditio esse debeat, etiam in casu. quo desumendo proximitatem à persona gravati, potius quam gravantis, de jure non intraret representatio, ut congingebat in *d. Mutinen.* ob rationes & inconvenientia ibidem ponderata, quæ originarie deducebam in ista causa prius disputata quàm illa; Multo magis & absque dubio, ubi ut in præfenti sumus in casu concursus nepotum cum patris, in quo intrat representatio, cum tunc videatur casus longe facilior ac omnino planus.*

Ad quod etiam ponderabam ea quæ in proposito statuti Urbis infra hærentur de filiis in conditione positus regulariter vocatis ad solam por-

tionem patris, non autem ad illam patris, quæ ex conjecturis, vel ex ratione absurdi à dicta receditur, atque intrat vocatio etiam ad portio patris; Necnon in idem ponderabam ea, quæ regulariter prohibita in materia transmissio- nis regulariter prohibita, adhuc tamen ex consuetudine vel ratione absurdorum intrant, cum hinc, dum habente fideicommissio tractum successivum, subesse non videtur probabilis ratio, cum ex pluribus lineis inæqualis esse deberet, ac inferioris conditionis quàm essent aliæ, dum subesse habere debet tractum perpetuum & successivum cum aliis ponderationibus, de quibus in *d. Alabandisc. 17.* atque istam credebam esse veritatem.

NEAPOLITANA DISTRIBUTIO

INTER

ILLOS DE VENATIS

Responsum pro veritate.

De eadem materia concursus plurium personarum ejusdem generis cum inæqualitate graduum vel diversitate linearum concurrentium ad eandem dispositionem, quatenus detur omnium concursus, quomodo hic esse debeat, an in capita vel stirpes.

S Y M M A R I U M.

- 1 **F**acti series.
- 2 **Q**uod quæstiones representationis, vel substitutionis non intrent in casu.
- 3 **Q**uales sint termini controversiæ, & quod venientes beant venire in capita.
- 4 **I**ta succeditur in jure patronatus gentilitio.
- 5 **D**atur simile distributionum inter Canonicos, vel in ficiatos alicujus Collegii.
- 6 **C**apitulum alius impeditur totum residere partem Canonicis.
- 7 **O**bservantia est satis deserendum.
- 8 **D**antur casus similes.
- 9 **Q**uando successio etiam in his juribus sit in stirpes.

DISC. XXII.

DE anno 1552. Joannes Baptista & Ferdinandus de Venatis assignarunt quædam bona vel annui redditus ducatorum 1000. circiter, sub lege ut fructus singulis annis reponi deberent in arotinenda in Alma Domo Sanctissimæ Annuntiationis Neapolis, ut quoties cumlati essent ducati erogarentur in subsidium dotale unius puellæ eorum descendentes, cum diversis conditionibus, quibus in promptu dictum subsidium congruenter non facientibus; Ubi verò non adessent quibus tunc iidem redditus per Magistros seu Administratores dictæ Almæ Domus distribui deberent inter masculos eorum descendentes in stirpes, hoc est in dietas descendentes unius, & altera medietas descendentes alterius fundatoris, qui tamen casus non evenit, quoniam linea Ferdinandi defecta ipso defecto sine prole; Ex Joanne Baptista vero in superites alter Joannes Baptista, qui solus in casu deficientiæ feminarum de dicta distributione partem

participavit, Ex eo autem fuerunt superstites Petrus & Ferdinandus, qui pariter dictam æqualem participationem habuerunt; Cum autem ex Petro numerosa proles fuisset superstes quatuor filiorum, nempe Carolus, Paulus, Hector, & Dominicus, atque ex Carolo primogenito deinde quoque defuncto, fuissent superstites plures filii masculi, adhuc vivente dicto Ferdinando patruo, ac patruo magno respectivè, Hinc orta est duplex dubitatio, Primò inter dictum Ferdinandum ex una & omnes præfatos Petri filios & nepotes ex altera, prætendente Ferdinando sibi debitam esse totius redditus medietatem, alteram verò per quamdam successione in stirpes competere descendantibus Petri ejus fratris, Et secundò successivè, an idem ordo distributionis in stirpes servandus veniret inter descendentes Petri, ut scilicet omnes filii ex Carolo defuncto superstites, ita in stirpes pro una persona computandi, quartam portionem cum singulis patris æqualem habere deberent.

Super hujusmodi autem controversia, pro mea notitia ut tunc supponebatur, extrajudicialiter ac benevolè examinata, plura in ea Civitate edita fuerunt hincinde elaborata responsa, in quibus summo studio, summoque labore, quali per volumina tractabatur materia tam repræsentationis, quàm subingressione, ex quibus remotioris proximioribus æquales fierent. Necnon altera quaestio, an vocatis pluribus sub nomine colectivo, eorum vocatio censeatur ordine simultaneo, vel potius ordine successivo, ita ex hujusmodi quaestionibus inferendo respectivè ad opportunitatem eorum, pro quibus consilium præstatur; Cumque Paulus unus ex dicti Petri filiis Eques Hierosolomytanus in Urbe moram trahens, hujusmodi responsis communicatis meum iudicium pro veritate expetiisset.

Respondi, extraneos videri adeò magnos labores desuper impensos, rectè cadentes, ubi ageretur de formali successione fideicommissaria cum ordine successorio, & respectivè cum transmissione in propria lineam seu posteritatem regulanda, ita ut ingressus in unam lineam vel colonellum causet perpetuum præjudicium alteri, ad quam non fiat regressus, donec illa evacuetur, in quibus terminis intrant dictæ quaestiones, præsertim prima majoris proximitatis ratione gradus juxta ordinem in testatæ successione, unde propterea quærere oporteat, an intret necne beneficium repræsentationis, vel alterum subingressione, per quamdam speciem vulgaris anomalæ, per quod beneficium, ex legis fictione, ille qui est per naturam remotior, ita fiat proximiori æqualis, juxta casus, de quibus habetur supra in præcedentibus.

Verum in hac facti specie pro meo iudicio casus regulandus non videbatur cum his terminis, sed potius cum illis, quos habemus in materia jurispatronatus gentilitii, sive cum aliis quos habemus in materia distributionum quotidianarum massæ grossæ inter plures de aliquo Collegio vel alia Vniversitate; Vbi enim non agitur de re hæreditaria, seu de formali successione in bonis, sed de hujusmodi temporaneis emolumentis vel præminentis pro omnibus de familia vel descendenti simpliciter ordinatis, tunc attenduntur singula tempora, in quibus actus explicatur, atque omnes, qui tunc in familia reperiuntur æqualiter admittuntur in capita juxta magistralem distinctionem Baldi in leg. 2. Codic. de suis & legitimis, adeo ut veniant etiam eodem tempore pater & filius, ut in terminis jurispatronatus

gentilitii, Alex. de Nevo cons. 63. lib. 1. & ceteri plenè collecti per Vivian. de iurepatr. lib. 4. cap. 1. num. 4. 62. cap. 2. num. 28. & seqq. & cap. 9. num. 18. Lotter. de benef. lib. 2. quaest. 11. num. 123. Rota post Vivian. decis. 118. num. 6. decis. 166. num. 14. & decis. 82. num. 10. par. 7. rec.; Ita enim omnes descendentes vocati dicuntur collegiativè & tanquam unum corpus æquè constitutum ab omnibus, qui tunc extant tanquam ejus membris, ac attento modo participandi singulis quibusque temporibus, in quibus distributio respectivè facienda sit.

Adinstar distributionis fructuum & emolumentorum, aliorumque jurium singulis annis, vel aliis temporibus faciendæ inter Canonicatos & beneficiatos alicujus Capituli vel Collegii, quoniam si in uno anno vel tempore ob vacationem plurium Canonicatum, sive ob absentiam vel alia impedimenta aliorum Canonicorum pauci reperiantur Canonici, inter istos tota distributio facienda est, dum ex iis quæ habentur in *Casaraugustana Canonicatus sub tit. de Canonicis & Dignitatibus*. ac in decisionibus in ea causâ editis 16. Junii 1653. coram Albergato, & 4. Februarii 1654. coram Bichio, quarum secunda est decis. 4. post Tondur. de person. totum jus Capituli vel Collegii, aliis impeditis, etiam in duobus, quinimò & in uno consolidatur ac residere potest, unde si in alio anno vel tempore omnes canonicatus sint pleni, omnesque Canonici præsentés, inter omnes æqualis debet esse distributio, quæ ita inter singulos longè minor redditur, non curato, quod aliqui Canonici antiquiores temporibus præcedentibus ita majores portiones habuerint.

Isti mihi videbantur veri ac proprii hujus controversiæ termini, quamvis ob non habitam desuper formalem disputationem, neque habitam distinctam notitiam retroactæ observantiæ, cui nimium deferendum esse observabam, non omnimò maturum iudicium desuper efformare potuerim; dicebam tamè, quod verè nõ cadentibus dictis terminis successione in stirpes vel in capita, benè caderent alii, quos in dicta materia jurispatronatus & præsentandi habemus super simultaneo concursu patris & filiorum, quo casu quamvis regula sit affirmativa, satis tamen deferendum venit observantiæ, per quam rectè ejus limitatio inducitur, ita à pari, ut scilicet illi solum participare deberent, qui essent paterfamilias seu capita domorum respectivè.

Satis ad me ita sentiendum movebat frequens praxis, quæ pro conservando splendorem nobilium familiarum habetur super hujusmodi prudentibus provisionibus seu distributionibus in Civitate Ianuensi, juxta ea quæ habentur in *Ianuen. distributionis disc. 3.*, ac etiam juxta casum, de quo infra in *Bonon. fideicommissi de Guidottis disc. 44.*, ubi de consimili dispositione super distributione fructuum ac reddituum singulis annis per quosdam administratores faciendæ inter omnes descendentes pro tempore extantes in capita, quamvis Apostolica derogatio illum ordinem interverterit.

Difficultatem solum pro successione in stirpes inducere videbatur ea consideratio, quod iidem fundatores expressè hunc modum statuisent, ut scilicet non curato æquali numero personarum, æqualis esset divisio inter ipsorum lineas seu descendentes, attentis stirpibus, & sic in stirpes; Verum difficultas non videbatur considerabilis ob casus seu rationis diversitatem, cum tunc essent duæ lineæ ab initio constitutæ inter se distinctæ, quo casu etiam in jurispatronatus gentilitio, in quo exercitium deferatur

de LUCA
de
lamentis
t. cat.
CIV
9

in capita & non in stirpes, adhuc attenditur hæc æqualis distinctio stirpium, regulando deinde distributione inter personas cuiuslibet stirpis respectivè ex deductis *decis. 2. par. 7. rec.* & frequenter in sua materia *sub tit. de iure patronatus*, Concludebam tamen minimum deferendum esse observantiæ, quando hæc aliter suaderet.

16 *An cancellatio inducat probationem talis voluntatis.*
17 *De conjecturis probantibus voluntatem voluntatis proximos gravati.*
18 *Habens facultatem nominandi vel eligendi non potest egredi genus à testatore volutum.*

DISC. XXIII.

ROMANA FIDEICOMMISSI DE VICTORIIS.

PRO

DIANA VICTORIA PRINCIPISSA
ROCELLÆ ET EIUS
FILIIS.

CUM

OCTAVIO VICTORIO.

*Causa decisus per Rotam pro Octavio,
postea concordatus.*

De concursu plurium ratione proximitatis,
An attendenda sit proximitas gravantis
vel gravati; Et in specie quid ubi fiat tran-
situs de uno genere seu ordine personarum
ad alium.

SUMMARIUM.

- 1 *Facti series.*
- 2 *Decisiones causæ.*
- 3 *De punctis seu questionibus causæ.*
- 4 *De questione, an attendatur proximitas gravati, vel gravantis, ut attendatur illa gravati.*
- 5 *Etiã in feudis remissivè.*
- 6 *De limitatione regulæ, de qua num. 4., ubi sit transitus ad diversum genus personarum.*
- 7 *De declaratione seu sublimitatione dictæ limitationis ubi fideicommissum protrahitur est in tempus remotissimum.*
- 8 *De declaratione dictæ declarationis, ut scilicet attendatur etiã proximitas gravati, quando omnes sunt aequè descendentes à testatore.*
- 9 *De rationibus dictæ propositionis.*
- 10 *Quomodo etiã in isto casu consideretur persona Testatoris remissivè.*
- 11 *Vbi proximior gravati non est descendens testatoris seu de genere vocato ejus proximitas non attenditur.*
- 12 *Ac etiã si descendat, vel sit de genere, sed maior proximitas proveniat ab alio latere extraneo.*
- 13 *De proximitate pro habendo renovationem emphyteuticam.*
- 14 *Vbi accedit voluntas testatoris attenditur sua proximitas potius quam illa gravati.*
- 15 *An dicatur adesse ex pronome meus vel suus.*

Bernardinus Victorius, instituto hærede Iohanne Baptista filio, perpetuum descendivum, fideicommissum ordinavit in universâ linea masculinâ prius legitima, & postea naturali, eaque defuncti facultatem dedit ultimo nominandi unum ex descendentibus ex feminis, quæ descendente erat Iohanne Baptista, dictaque nominatione non facta, transferretur vocatus proximior ita descendens, cum onere assumendi cognomen & insignia, & cum iis dispositionibus ad rem non facientibus; Cum autem defecisset linea masculina in Marco Antonio filio Iohannis Baptiste nepote ex Horatio filio defuncti absque prole, nulla facta nominatione; Hinc est controversia inter fratres de Carafis filios Principissæ Dianæ præfati Marci Antonii sororis, & Octavium Robertum nepotem dicti Iohannis Baptiste: Victoria filia, super dictâ fideicommissariæ institutionis pertinentiâ, & introductâ causâ prius coram A. C., deinde in *Rota coram Orthobono*, in primis disputationibus unicus punctus erat, an attendenda esset proximitas gravati vel gravantis, cum antea prima, fratres de Carafis essent absque dubio proximiores, & e converso attendita secunda, esset proximior Robertus; Quia verò huiusmodi disputationibus pendentes repertæ fuerunt hujus testatoris tres scripturæ insimul junctæ in quodam quædam imbrevisaturarum Notarii rogati, in quarum una quæ fuit reputata matrix, vocatus legebatur proximior masculus ex feminis descendentibus à Iohanne Baptista, ejusque filiis & descendentibus; hæc verba legebantur cancellata, unde remanebat solum verba ex feminis descendentibus, seu quæ deberent à dicto Iohanne Baptista; Hinc promissus Robertus actor, derelicto primo puncto seu questione proximitatis, in qua rectè agnoscebat succumbentem convolvit ad hoc motivum, quod scilicet testator cancellando feminas filiorum & descendentium dicti Iohannis Baptiste, eas, earumque filios voluit sed se restrinxerit ad feminas immediatas ejus, qualis erat Victoria Roberti mater, non autem Diana neptis, ideoque ex hoc motivo sub die 20. Junii 1651. prodiit resolutio Roberto favorabilis confirmata 19. Januarii 1652. coram eodem Orthobono, ut patet inter decisiones ejus impressas *decisione 244. & 271.*, quæ confirmatæ fuerunt in tertia disputatione 26. Junii 1652. coram Verospio subrogato in locum dicti Orthoboni, interim ad Cardinalatum erectæ; patet ex *decis. 285. par. 11. recent.* deindeque allata disputatione super immessione ad bona fideicommissaria contra dictam Principissam Dianam eorum posseditricem tanquam hæredem ab intestato Marci Antonii, aliqua motiva excitata super libertate quorundam bonorum notabiliorum, antea inderunt concordia, quæ controversiam terminavit.

In his igitur disputationibus, tres fuerunt præcipuè inspectiones, Primò scilicet super proximitate, an hæc regulanda esset ex persona testatoris, vel ex illa gravati ultimo nominandi. Secundò super dictâ cancellatione, quæ in ea subdistinguebatur, Vnam facti, An scilicet scriptura in qua talis cancellatio aderat, contineret originalem seu matricem authenticam, vel potius